

PLAUTE

26. — Rêve d'esclave.

Nimis homo nihili est, qui piger est ; nimisque id genus odi ego male ;
 Vigilare decet hominem, qui uult sua tempore conficere officia ;
 Non enim illum exspectare oportet, dum erus se ad suum suscitaret officium.
 Nam qui dormiunt lubenter, sine lucro et cum malo quiescunt.
 Nam ego nunc, qui impiger fui, repperi mi, piger ut, si uelim, sim.
 Hoc ego in mari, quidquid inest, repperi : quidquid inest, graue quidem est.
 Aurum hic ego inesse reor : nec mihi conscius est ullus homo. Nunc haec
 Tibi occasio, Gripe, obtigit, ut liberet ex populo praetor te.
 Nunc sic faciam, sic consilium'st, ad erum ut ueniam docte atque astu.
 Pauxillatim pollicitabor pro capite argentum, ut sim liber.
 Iam ubi liber ero, igitur demum instruam agrum, aedes, mancipia ;
 Navibus magnis mercaturam faciam ; apud reges rex perhibebor.
 Post, animi causa, mihi nauem faciam atque imitabor Stratoniceum :
 Oppida circumuectabor. Vbi nobilitas mea erit clara,
 Oppidum magnum commoenibo : ei ego urbi Gripi indam nomen,
 Monumentum meae famae et factis ; ibique regnum magnum instituam.
 Magnas res hic agito in mentem instruere : uidulum nunc hunc condam.
 Sed hic rex cum aceto pransurus est et sale, sine bono pulmento.

(TOULOUSE)

Rudens, 919.

55. — Origines du théâtre à Rome.

Cum vis pestilentiae nec humanis consiliis nec ope divina levaretur, victis superstitione animis, ludi quoque scaenici, nova res bellicoso populo (nam circi modo spectaculum fuerat), inter alia caelestis irae placamina instituti dicuntur. Ceterum parva, ut ferme principia omnia, et ea ipsa peregrina res fuit. Sine carmine ullo, sine imitandorum carminum actu ludiones, ex Etruria acciti, ad tibicinis modos saltantes haud indecoros motus more Tusco dabant. Imitari deinde eos Juventus simul inconditis inter se jocularia fundentes versibus corpore, nec absoni a voce motus erant. Accepta itaque res saepiusque usurpando excitata. Vernaculis artificibus, quia hister Tusco verbo ludio vocabatur, nomen histrionibus inditum ; qui non, sicut ante, Fescennino versu similem, compositum temere ac rudem alternis jaciebant, sed impletas modis saturas descripto jam ad tibicinem cantu motuque congruenti peragebant. Livius post aliquot annos, qui ab saturis ausus est primus argumento fabulam serere (idem scilicet, id quod omnes tum erant, suorum carminum actor), dicitur, cum saepius revocatus vocem obtulisset, verba petita puerum ad canendum ante tibicinem cum statuisset, canticum egisse aliquanto magis vigente motu, quia nihil vocis usus impendebat. Inde ad manum cantari⁽¹⁾ histrionibus ceptum diverbiaque tantum ipsorum voci relicta.

(STRASBOURG)

7, 2, 3.

(1) *Ad manum cantari* = Avoir à sa disposition un chanteur.